



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Forma literaru[m] require[n]di mone[n]di officiales te[m]porales vt
praeste[n]t iurame[n]tu[m] sub paena exco[m]municationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

Stratum criminalium, quos Itali vocant sbirros. perinde est ergo ac si diceretur, non faciemus ministros eos qui male de fide sentiant, aut hereticis faueant: siue non proficiemus tales officii publicis aut honorificis administrationibus: nam per illud verbum, bailliuas, id quoque potest significari, vt videtur indicare Concilium Biterense, cap. 28. ibi: Et ne Bailliuas seu administrationes teneant.

Item quod nullum de predictis recipimus, nec habebimus in nostra familia, vel consortio, vel seruitio, nec in nostro consilio sentent. Desumptum valde prudenter ex concilio Tholosano, & concilio Biterensi, in quorum primo, c. 16. ita scriptum est: Sed nec eos (scilicet hereticos, aut eorum credentes) aut etiam aliquos diffamatos de heresi, vel quos credit de hoc esse suspectos, in sua familia, vel suo consilio, habere, vel retinere praestant. haec ibi. In Biterensi vero cap. 28. idem cauetur his verbis: Et ne Bailliuas, seu administrationes teneant, nec sint in consilijs, vel familijs potentum, &c. Sunt haec valde insignia, & diligentissime perpendenda in hac heresi causae, nec vllus est in hac praxi locus, qui non habeat recordam eruditionem, desuit Eymérico stylus elegans, sed non prudens, & profunda rerum cognitio, cum nihil serè dicat, quod probatis auctoritatibus non nitatur, quamvis eas ipse non citet; quo magis miror quorundam iniustam fortassis sententiam, asserentium haec omnia vel abijisse iam in desuetudinem, vel facile contemnenda, cum meliora excogitari possint, quod nusquam putarem audiretū.

Forma litterarum requirendi, & monendi officiales temporales, vt praestent iuramentum sub pœna excommunicationis.

Rater N. ordinis Praedicatorum in talibus terris, seu dominio talis domini, Inquisitor haereticae prauitatis a sancta sede Apostolica specialiter delegatus venerabilibus, & in Christo nobis dilectis, tali Vicario, tali Balliuo, tali Subballiuo, & talibus Consilibus talis ciuitatis, vel loci: Salutem, & mandatis nostris, immo veris Apostolicis firmiter obedite.

Cum omnes renati fontè baptismatis, & praesertim domini temporales, consules, officiales, & aliarum prouinciarum, ciuitatum, castorum, & locorum rectores, & regimini praesidentes, teneantur in defensione sanctae fidei orthodoxae, & extirpatione prauitatis haereticae, iuxta posse, & officium tuum Ecclesiam adiuuare, si fideles haberi cupiunt, & tales a ceteris reputari; & hoc iurare cum ab Episcopis, vel Inquisitoribus fuerint requisiti, si vitare cupiunt graues, & multiplices pœnas iuris, prout docent canonica instituta: Et nos qui ad ciuitatem talè venimus causa fidei, & existimus de praesenti, habemusq; in ea nonnulla fidei ardua negotia peragere pro sanctae fidei defensione, & extirpanda haeretica prauitate; quod facere commode nequimus, nisi vestrorum inuocato auxilio brachij secu-

A laris, Ea propter auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte: Vos & vestrum quemlibet requirimus, & monemus, ac monendo in virtute sanctae obedientiae, & sub pœnis in iure contentis praecipimus, & mandamus, quatenus post tres dies naturales proxime, & immediate sequentes, quorum primum pro primo, secundum pro secundo, & tertium pro tertio termino; & pemptorie, ac trina monitione canonica assignamus; scilicet die tali proxime, & immediate sequenti veniatis in terram talem, & tali hora, & in tali loco coram nobis corporaliter praesentemini, & corporale praesentemini iuramentum ad sancta quatuor Dei

B Euagelia ibi nobis, & coram nobis praestetis, iuretis, & promittatis, quod toto tempore vestri regiminis in officio memorato fideliter, & efficaciter, cum a nobis fueritis requisiti, Ecclesiam contra haereticos, & eorum cõplices adiuuabitis, bona fide, iuxta officium, & posse vestrum. Et nihilominus quod inuolabiler seruabitis, & seruari facietis in terris vestrae iurisdictioni ac regimini subiectis, constitutiones contra haereticos, credentes, receptatores, fautores, & defensores ipsorumq; filios, & nepotes a sede Apostolica promulgatas, ac etiam approbatas. Si autem (quod Deus auertat) nostrorum monitorum, mandatorum, & praceptorum, immo verius Apostolicorum immemores extiteritis, & rebelles praefatis nostris monitis, & mandatis, infra praetaxatum vobis terminum non parendo, sciatis vos, & vestrum quemlibet, sic rebellem, contumacem, & inobedientem, vel sic rebelles, contumaces, & inobedientes nobis, immo reuera Ecclesia sanctae Dei, excommunicationis sententia innodatum, & innodatos: quam excommunicationis sententiam in vos, & vestrum quemlibet, sic inobedientem, contumacem, & rebellem nobis, immo sanctissimi nostro Papa; nunc vt extune, & tunc vt ex nunc, vestra contumacia exigente, & iustitia requirente, in his scriptis sententia literis promulgamus. Notificantes, quod si permiseritis vos praefata nostra sententia innodari, procedemus contra vos ad pœnas alias debitas grauiiores, & ad inquisitionem earundem, prout ius & iustitia sua debent. Datum sub nostro sigillo, die tali, mensis talis, anno talis, ae loco tali.

Quibus litteris praesentatis, si infra eis terminum assignatum comparuerint, & iurare consenserint, iurent secundum formam superius expressam. Si autem non comparuerint, elapso dicto termino, publicentur excommunicati, & publicari mandentur in Ecclesia cathedrali, saltem per litteras tenoris sequentis.

† al. persona-
luer.
† al. persona-
lic.

14
Si non obedi-
uerint decla-
rentur excõ-
municati.

COMMENT. V.

Multis rescriptis Apostolicis conceditur Inquisitoribus, vt possint seculares magistratus cõpelle per cõsurā ecclesiasticā ad praestandum iuramentum, & de custodiendis legib. in hereticos editis, & de extirpandis eisdem de terris suis inam, vt caetera omitam, Innocentius iij. rescripto incipiente: Orthodoxae fidei. hanc illis apertissime tribuit facultatem, ibi: Si vero nostris in hoc, im-

Num. 13.
Magistratus
seculi cõpel-
li possunt ab
Inquisitorib.
ad praestandum
iuramentum



mo potius Apostolicis acquiescere monitis non curauerint, ipsos ad id per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota cogatis. *hæc ibi: quæ ratione debeant ad praxim renouari, opportune docet hoc loco Eymericus.*

a Et nihilominus, quod inuolabiliter seruabitur, & cat. constitutiones contra hereticos, &c. *Multi sunt Pontificum extrauagantes in fine huius operis impressæ, quibus præcipitur saculi magistratibus, ut constitutiones, & leges contra hereticos latas obseruent. Innocent. III. sepe cauit per bullam incip. Orthodoxa fidei. nem per bullam incipien. Ad extirpanda. §. Statuimus. ubi ita scriptum est: Statuimus, ut Potestas seu Rector, qui ciuitati præest, vel loco alij ad præsens, aut pro tempore præfuerit in futurum in Lombardia, Romaniola, vel Marchia Teruifana, iuret præcisè, & sine tenore aliquo atterere inuolabiliter, & seruare, & facere ab omnibus obseruari toto tempore sui regiminis, tam in ciuitate, vel loco sui regiminis, quam in terris sue ditioni subiectis, omnes, & singulas, tam infrascriptas, quàm alias constitutiones, & leges, tam canonicas, quàm ciuiles, editas contra hereticam prauitatem: & super his præcisè obseruandis recipiant a quibuslibet sibi in potestaria vel regimine succedentibus iuramenta: quæ qui præstare noluerit, pro Potestatis vel Rectoribus nullatenus habeantur. hæc tenus ibi. Huc quoque spectat quod sanciuit Bonifacius Octauus in c. vt inquisitionis. de hæret. libr. 6.*

Forma denunciandi excommunicatos prædictos officiales.

15 **R**ater N. ordinis prædicatorum, & cat. Inquisitor, &c. dilectis nobis in Christo curatis, clericis talis Ecclesiæ cathedralis, ad quem, vel quos præsentem peruenirent: Salutem, & mandatis nostris, immo uerius, & cat.

Vobis, & cuiuslibet vestrum notum facimus tenore nostrarum præsentium litterarum, quod die tali, de mense tali, & de anno tali, assistentibus nobis talibus, ac in tali loco, uocauimus ad nos uenerabiles talem Vicarium, & talem Subvicarium, talem Balliuum, & talem Subballiuum, & tales Consules talis ciuitatis, vel loci, & requisimus uerbo prius, postmodum litterariè: quatenus præstarent nobis iuramentum (ut tenentur) secundum canonicas sanctiones, quod quocumque per nos requirentur, ut Ecclesiam contra hereticos, & eorum complices adiuuarent bona fide, & iuxta officium, & posse suum, &c. facerent, quæ in dictis litteris continentur. Cumque parere noluerint, ut tenentur, requisimus eos ac monuimus, & requiri ac moneri sub pena excommunicationis fecimus, quatenus dictum iuramentum præstarent infra certum eis terminum assignatum, ut patet per nostras litteras tenoris sequentis. *Inseratur tota immediate littera antedicta, et cõtinuetur sic:*

Verum cum talis Vicarius, vel Consules, ac Balliuus, &c. antedicti: nostris præfatis monitis, &

A maudatis, immo uerius Apostolicis, nõ paruerit cum effectu, contemnendo præstare petitum iuramentum canonicum antedictum, propter quæ antefatam excommunicationis sententiam incurserunt, ut contumaces nobis, & rebelles, immo uerius Sanctissimo domino nostro Pape, & Ecclesie sancte Dei, ideo auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, uobis, & cuiuslibet uestrum, dicimus, & in uirtute sancte obedientie, ac sub pena excommunicationis præcipimus, & mandamus, quatenus tali die proxime ueniens, & in omnibus, & singulis alijs diebus Dominicis, & festiuis, & tandem quousque a nobis oppositum habueritis in mandatis, populo denuntietis in tali Ecclesia, vel tali, in Missa maiori, quando maior erit ibi multitudo populi atque cleri, prædictos talem, & talem, fore per nos excommunicatos, & tanquam uere excommunicatos uitetis, & faciat ab alijs euitari, tantum, & tamdiu, donec de absolutione eorum legitime uobis constet: Et hæc nostras reddatis latori præsentium cum subscriptionibus uestris, continetibus diem & horam receptionis uestræ in signum mandati completi, positus in eisdem. Datum sub nostro sigillo, die tali, mensis talis, anno tali, & loco tali.

B *Quibus denunciatis, si præstare uoluerint iuramentum canonicum antedictum, præstabitur secundum formam in antea expressam, & absoluentur a sententia excommunicationis, inuncta eis aliqua dura penitentia arbitraria salutari: ut pote quæ certis diebus Dominicis, uel festiuis, habeant stare domi. Missa maior dicitur, & populi maior fuerit multitudo, in porta Ecclesie, uel in gradibus ante altare, apud & solaribus depositis, tenendo in manu cerum tanti ponderis, offerendum sacerdoti Missa terminatas, seu diuino officio celebrato. Vel quod hoc faciant omni uel certo tempore, quando contigerit Inquisitorem pro fide sermonem facere generale. Vel iniungatur alia pœna, de qua magis ridebitur expe dire, per modum tenoris sequentis.*

COMMENT. VI.

a **I**nuncta eis aliqua dura penitentia arbitraria salutari. *Optime dicit, arbitraria: quoniam licet ob id quia uenerit fuerint, uel auerit pœnas, de quibus in c. ad abolendam. §. penul. & in cap. excommunicamus. §. moueatur. de hæreticis, & in ant. si uero dominus. C. de hæret. ubi interpretet, nihilominus ob delictum præcedens puniendi sunt, & quia tunc pœna non est a iure taxata, propterea arbitrio iudicantis relinquitur imponenda. c. de causis. extra de offic. deleg. & tradit Panormitanus, in cap. admonet. de renuncia.*

E *Hæc uero pœna de quibus hoc loco Eymericus, non debent acerbè uideri, cum delictum fuerit grauissimum: nam non obedire Inquisitori in his quæ ad fidem spectant, ingens scelus est, poterunt autem alij mitiores ex cogitari, ueluti copiosa elemosynas, pro loci edificatio, & similes, dummodo delictum non maneat impunitum, & ceteri timere discant.*

Illud tamen est hic diligentissime obseruandum, in puniendis magistratibus multa prudentia opus esse,